Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-595065-p0001-3

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-595065-p0002-9

Acclamatio Votiva

Sereniſsimo & Illuſtriſsimo Principi ac Domino, Domino

IOANNI SIGISMUNDO, MARCHIONI BRANDEBURGICO, S. ROMANI

Imperii Archicamerario & Electori: Duci Boruſſiæ, Juliæ, Clevæ, Bergæ, Stetini, Pomeraniæ, Caſſuborum, Vandalorum. In Sileſiâ Croſnæ & Carnoviæ, Burgrabio Norinbergæ, Principi Rugiæ &c.

Serveſtam veterum Soraborum Metropolin 8. Aprilis ingredienti &c.

Humilimo ſtudio ſcripta

ab

ABRAHAMO CREMERO, Grunbergenſi Sileſio, Verbi divini Miniſtro Serveſtæ ad B. Barthol: &c.

---

pIIs ô ſerVa DeVs prInCIpeM.

SERVESTÆ
Imprimebat Zacharias Dörffer, Anno 1614.

119.
13.
MDCVV
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-595065-p0003-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-595065-p0004-0

TRiſtis amarities, ſquallor, fraus, impius error,
Et tenebræ, & lacrumæ, luctusq; hac exeat ur-
Quando læta dies nobis illuxit olympo: (be:
Mœnibus his noſtris qua Brandenburgicus HEROS
Et virtute potens & Relligione coruſcans
Succeſsit, noſtri ſublimia tecta RODULPHI
Ingrediens, & nos ſperata luce ſerenans.
Namq; ut magnanimos excepit Roma Quirites,
Si quem præclarum duxerunt laude triumphum:
Sic exultat ovans animis SERVESTA, fremitq;
Lætifico plauſu, cum fida plebe, Senatus.
Obvius inprimis (quanta cum laude!) RODULPHUS,
Cujus conſpirat PIETAS & pectore Candor,
Progreditur, ſolennes exhibiturus honores,
Haud tanto indignos Romani ſidere Regni.
Fuſus in amplexum, & teſtatus gaudia mentis
Dixit: Marchiacæ ô terræ Dux inclyte, ſalve,
Qui geris Imperij faſces & regia ſceptra,
Jngredere ô Divum celsa ſate Marchio gente,
Jngredere ô, bonus usq; tuis, quos Unio jungit,
Unio diſſolvenda minus; quam nulla ſilebit

 Poſteri-

Poſteritas, patriæ ſi gratâ mente favebit.
Hæc ait. At contra ELECTOR *ſic ora reſolvit:*
Grata, RODULPHE, *tua eſt nobis propenſa voluntas,*
Nec minus acceptus populi favor: at quòd amicâ
Glutine conjunxit ſolido nos Unio: certè
Gratia non nobis, verùm eſt referenda Iehovæ:
Qui mihi ſincerâ pro Relligione tuendâ
Nonnullos cuculi riſus, & multa ferenti
Scommata non aſper veniet: Sed ſidera cœlo
Purpureo nobis rutilabunt luce benigna:
Parebunt monitis & rura & mœnia tandem.
His ubi reſpondit paucis: converſus ad arcem
Ecce ruit lætus magnâ comitante catervâ,
Nam vultu Gravitas: Bonitas è pectore ſpirat:
Da veniam Princeps. Te paßibus æquat euntem
Candor, honor, Pietas, & Gloria, Fama, Fidesquè.
O mihi tàm longæ maneat pars ultima vitæ!
Decurſo donec ſpacio tot munera cantem.
Vix è conſpectu portæ ſeceſſerat: adſtat
Continuò ſtudioſa cohors, haud omine lævo,
Accedens propiùs, miratur PRINCIPIS *ora*
Magnanimi, & paulùm levata mente morata
Hæc rupit fundens ad IHOVAM *pectore vota:*

Affer opem HERÖI*: qui te pietate fideq;*
Cultoresq; tuos colit, & cui pagina ſacra
Inprimis cordi eſt: dum dogmata ſana tueri
Non renuit bonitatis amans: huic annue, priſcam,
Subſtituens VERUM *qui fraudem exterminat agris.*
O IHOVA*, qui bonus es, quo nec ſine origine quidquam*
Eſt aliud terris, nec vel perfectius ullum,
Aut magis excellens, aut quidquam in ſe usq; requirens.
Sis bonus & facilis, bona fata, bonosq; miniſtra
Succeſſus: nec non nutu felice ſecunda
Auſpicio quæcunq; tuo jam ſuſcipit orſa.
Fallor? an incipiant ſinceri fundere vota,
Grata gregi Chriſti qui præbent pabula, Myſtæ.
Haud fallor. Quare nomen mea pectora laude
Afficiant, ô Chriſte, tuum: quòd commoda tanta
Suppeditas populo, meriti qui caſſide ſeſe
Suſtentare tui ſatagit, ſub labe maligna.
O Arii dirum tere Neſtoriiq; venenum!
Exulet ut rabies mundo quæ regnat VBIQUè*:*
Suffice Doctores: craſſos depellere retrò
Errores, VERUM*q; palàm qui dicere gaudent.*
Sic ſub præſidio, PRINCEPS *fortiſſime, tutam*
Alma tuo ſedem pax eſt habitura, nec unquam

Relligio pia diſcedet ſic tramite recto.
Conſtat enim, rebus Te non ſtuduiſſe profanis:
Sed gaudes ſervare ex omni parte ſalubrem
Doctrinam, verè contentam codice ſacro.
Quocirca quamvis mundus Te jactet iniquè:
Blanda tamen ſurgent certò poſt aſpera fata.
Sic, mediante Deo, poſt triſtem candida noctem
Lux redit, exhilarans animum mœrore jacentem.
Sævit atrox terris hominum furor, improba ſævit
Cocyti rabies in Chriſti dogmata ſana:
Inprimis jurata cohors in nomina vana
Ingentes animos tollens petit alta: tyrannos
Concitat & rabidos: inimica ut mente capeſſant
Arma viros contra, tua nomina, Chriſte, profeſſos.
Sed mox tempus erit: quo, ſicut in æthere pulſa
Nube dies clara affulget mox ſole reducto:
Sic pulſis Templo tenebris immobile Verum
Reddetur: cedent, iſto fulgente, doloſæ
Fraudes, & tutâ fidi potientur arenâ.
Interea hanc nocuam vincat Patientia cladem,
Et confiſa Deo Spes, verbo fulta Fidesq;.
O Tu macte tuis virtutibus, optime Princeps,
Tu decus ô Regni, perſta: Ihova prævius ibit:

Et, quod non mundus confert, dabit æthere Ihova.
Gratia rara licet veniat, qui regna capeſſunt,
Iuſticiâ populumq; premunt & legibus æquis:
Summa tamen laus eſt errores pellere retrò:
Ac ovibus Chriſti tutos præbére receptus
Hoſpitiumq; juvat, veræ & pietatis alumnis
Conſulere & longè fucos arcere malignos.
Hoc eſt humanis de rebus velle mereri:
Hoc eſt officium gratum præſtare Iehovæ.

---

præsIDe IehoVâ VInCIs oMnIa.

FINIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-595065-p0009-1

Nr 1996

8

ULB Halle 3
002 063 808

nicht aufg., da unvollst. u.
nicht zu ermitteln!
28 a / 50 1996 /

VD 17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-595065-p0012-4

D VOTIVA

ſtriſsimo Principi

Domino

NI SI-

MARCHIO=

GICO, S. ROMANI

& Electori : Duci Bo

æ, Stetini, Pomeraniæ,

rum. In Sileſiâ Croſnæ

abio Norinbergæ,

ugiæ &c.

Soraborum Metro-

ingredienti &c.

udio ſcripta

ab

CREMERO, Grun-

bi divini Miniſtro Ser-

Barthol: &c.

eVs prInCIpeM.

STÆ

as Dörffer, Anno 1614.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-595065-p0013-0